

SCRIPTA

Numéro Scripta : 133

Autre(s) référence(s) : Tabuteau 482

Auteur(s) : Robert de Bodiaco, Tours, Saint-Martin de Marmoutier (moine)

Bénéficiaire(s) : Sacey, Saint-Martin, dépendance Saint-Martin de Marmoutier (prieuré)

Genre d'acte : notice

Authenticité : non suspect

Datation : 1090

Action juridique : donation

Langue du texte : latin

Analyse

Notice rapportant les différentes donations en faveur du prieuré de Sacey, dépendant de Marmoutier.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Pigeon Emile-Auber (Abbé), *Le diocèse d'Avranches, sa topographie, ses origines, ses évêques, sa cathédrale, ses églises, ses comtes et ses châteaux*, Coutances, Salettes, 1888, 2 vol., t. 2, p. 674-676.

Texte établi d'après a

Notum sit omnibus quod quando Robertus de Bodiaco factus est noster monachus, donavit S. Martino et monachis Majoris-Monasterii terram ad unam carrucam ; idem sexaginta acras terræ ad Saciacum et hoc quod ipse habebat in ecclesia de Saciaco. Et Harscutus nepos ejus duas partes decimæ. Hoc donavit Radulphus filius Roberti et concessit. Donaverunt iterum nobis unam capellariam quam Alvereolus presbiter tenebat in eleemosina. Illam eandem capellariam tenet modo Alvereolus de nobis in vita sua tantum. Post mortem vero suam erit nostra tota, nullo ex parentibus ejus hereditante. Donaverunt etiam nobis selusam Bilehildis in Cosnonio : et Harscutus et Radulphus filius Roberti donaverunt nobis medietatem molendini Ebroinis Dergia. Adhuc dedit nobis Harscutus medietatem decimæ molendini de Feciatis in Cosnonio. Addidit etiam dare nobis decimam de his quæ sibi exeunt de S. Jacobo et de Abrincis, et decimam de molendino de Escheno et decimam de omnibus bergariis suis, ubicumque aliquam habuerit. Promisit etiam dare S. Martino decimam omnium rerum quæ acquirere poterit ; et quodcumque dabitur nobis a suis hominibus de suo fero concessit S. Martino et nobis. Et Mahildis uxor ejus donavit nobis ex sua parte decimam medietariarum suarum in Saciaco et agriculturæ suæ et decimam omnium bergariarum suarum ubicumque aliquam habuerit. Evanus Secar dedit nobis decem acras terræ in parochia Saciaci. Evanus iterum et Paganus cognatus ejus dederunt nobis mansuram Galtii cognomento VII miles.

Hæc omnia concessit Michael Abrincarum episcopus in claustro S. Jacobi audiente ipso Harscuto et Garino monacho et Mainardo nostro et Joceranno priore de S. Jacobo. Sed quia concessa sunt hæc diversis temporibus et locis, non potuerunt congregari testes subscripti usque in anno ab incarnatione Domini millesimo nonagesimo, indictione decima tertia et tertio anno Roberti ducis Normanniæ, quo suscepit gubernacula, trigesimo octavo anno Philippi regis Francorum. In eodem videlicet anno confirmata est hæc cartha in domo Harscuti et subtus adscripti qui astipulaverunt. Sig. Harscuti, S. Mathildis (sic) uxoris ejus S. Evani Sequar (sic), S. Pagani filii Alberici... S. Herberti presbiteri, S. Roberti capellani nostri. Sed illam capellariam quam prædictus Alvereolus a nobis tenebat vita sua, nobis reliquit liberam, pro qua re ei de nostro dedimus et in beneficio misimus, testante Guarino qui hanc conventionem fecit, Guillelmo fratre Garmundi presbiteri et aliis.

Hugo filius Gorantonis dedit nobis totam decimam de dominio suo et de dominio patris sui de Saciaco. Hoc autem viderunt et audierunt, Garinus prior et Ascutus (sic) et alii. Gauterius filius Torferico (sic) dedit Guarino priori, monasterio et S. Martino dimidietatem decimæ terræ suæ et filius ejus Picus concessit. Ricardus Garsio dedit nobis totam decimam terræ suæ quisquislibet eam laboraret, coram Guarino priore, Amato presbitero et aliis. Eudo Rufus dedit nobis decimam terræ suæ ; Guillelmus Chonio dedit nobis decimam terræ suæ de Saciaco. Paganus filius Alberici dedit nobis decem acras terræ ad Thelicum (sic) Saciaci, adstante Guarino priore qui donum suscepit, Harscuto, Mathilde uxore ejus.
S. Hascuti de S. Jacobo seinur de S. Ilario.